



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

S. Magni Monasterivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

numerum ad iudicium non vocandis qua aliis constitutionib. apostolicis contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel diuisim à sede apostolica indultum existat quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint vel ultra certa loca ad iudicium euocari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, & de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. *Basilee* III. Non: May, sub anno à Natiuitate Domini Millesimo quadringentesimo Tricesimo quarto.

Catalogus Præpositorum huius Ecclesiæ Collegiatæ, qualescunque ex veteribus monumentis colligi potuit, infra sequitur, sub titulo prætermisiorum.

S. MAGNI MONASTERIVM.

ORDO S. Augustini Canonicorum regularium, in suburbio Ratisbonæ ultra pontem, vulgò *am Hoff*.

CIRCA annum 1135. ædificatum est hoc Monasterium, per quendam Gebhardum, Ratisponen. Canonicum, Presbyterum. Rex Conradus Hierosolymis reuersus, cum Ratisponæ de obsidendo Chelheim consultaret, consilio fratris vterini, Heinrici S. Leopoldi filij, qui tunc Ducatum Bauariæ tenebat, suburbium Ratisbonense Monasterio isti dedit; Anno 1138. Otto Frisingen. meminit obsidionis lib. 1. cap. 63. de vita Friderici Imperatoris; sed de donatione S. Magno facta nihil &c.

HARTWICVS secundus Episcopus huic Monasterio alia quam plurima privilegia dedit, inter quæ etiam Ecclesiam in Saler, Anno 1156 & 1161. Diplomata ibi extant, quorum copia sequitur.

In conscriptionibus apud S. Magnum habetur, quod prædictus Gebhardus fundator fuerit de familia Comitû de Raning, cuius castri vestigia adhuc extant, iuxta Labarum amnem. Ioann. Auent. lib. 6. fol. 622. ita habet: Conradus, Heinricus, Gebhardus, mysta Reginoburgen. fratres Germani de Raning & Rottenburch Comites, cum Matre Machilda de Paring, & diuum Magnum ad confluentes Danubij & Regni, in aduersa Reginoburgij ripa, Monachis Augustinianis dedicant.

COPIA LITTERARUM HARTVVICI EPISCOPI RATISBONEN.

NOTVM sit cunctis Christi fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quòd venerabilis Hartvvicus, Dei gratia, Ratisbonensis Ecclesiæ Episcopus petente Dietherico, Ripensi Præposito, altare in Monasterio eiusdem loci in honorem beati Andreæ dedicauit Apostoli. Verùm Dominus Episcopus, penuriam loci illius circumspècta mente perpendens, qualiter honorificentiam B. Andreæ Apostolo ibidem exhiberet, cum Conuentu maioris Ecclesiæ, quem Præpositus ad dedicationem inuitauerat, diligenter insistebat. Proinde ergò cum communicato consilio decimam, propriè dotem cum baptismo, & sepulturam propriæ villæ altari B. Andreæ obtulit, pro dote, quatenus sepultura propriæ villæ esset dos, esset parochia Ecclesiæ Ripariæ.

HANC

HANC itaque dotem suo priuilegio Domino Episcopo confirmare volente, Dietricus, Præpositus Ecclesiæ suæ, magis volens prouidere initialem statum eiusdem loci, à primo fundatore, & quæ suo tempore gesta fuerat, simul expetiuit Episcopum, priuilegiare: procedentibus igitur cum multitudine viris religiosis, qui statum Ecclesiæ in ordine suo cognouerant, de rebus autem gestis fidem nobis præstiterunt, quod videlicet eo tempore, quo bonæ recordationis Rex Chuenradus castrum Ottonis, Palatini Comitis in Kelheim obsederat, quod idem Rex eodem tempore in propria persona venerit, & Ecclesiam B. Magni intrauerit, & prædium illud Ripense, cum omni sua attinentia regali proprietati subiecerit: Et quod Marschalcus inuestituram ararum, à colonis villæ ripariæ collectam, Regi in quinquaginta duobus talentis acceperit, & hac sumpta pecunia, Rex ad obsidionem redierit, Postea verò Gebhardus, Prouisor Ecclesiæ ripensis, cum Ducatu duorū Marchionum, Diepoldi, videlicet Marchionis de Vohburg, & Berchtoldi Marchionis de Andechse, quorum Confessor erat, præsentiam Regis Chuhradi adiit, hoc ab eo exoptulans, quatenus intuitu diuinæ remunerationis præsidium, in quod manum potestatiuam extendere rat, Deo & Canonicam regularem vitam ibidem ducentibus, largiri dignaretur. Rex igitur ad petitionem tam venerabilis viri promptus existens, prædiū, quod petebatur, quod est situm inter duo flumina cum omni sua attinentia, vsū quoq; fluminū vsq; ad medium, coram principibus, Deo & Sanctis eius, Andrea scilicet Apostolo & B. Magno Confessori, contulit pro dote & Canonicis regularibus, sicut petiuit fidelis Gebhardus, est largitus; Veruntamen hac conditione interposita, vt si aliquando Clerici illi distraherentur aliqua violentia, prædictū prædium aut rediret ad regalem fiscum, vel si quid ordinauerint illi fratres, dignum permaneat ratum; vnde etiam Aduocati ipsius Ecclesiæ petente tamen Gebhardo, suo retinuit dominio. Ad recompensationem autem talentorum, quæ Rex, vt prædictum est, ab incolis acceperat, hanc gratiam Ecclesiæ suæ contulit. Nam cum consilio fratris sui H. (id est, Henrici) Ducis Bauariæ, & H. vrbs Præfecti, publicā mercaturam in villa siue ciuitate Riparia, omni feria tertia instituit: Ipsam quoq; mercaturam & pensiones, & quicquid solui debet de mercimoniis, in foris statutis, cum iudicio ciuili, præter sanguinis damnationem, cuncta Ecclesiæ pro vsu fructu, firmavit Ripariæ, quæ huc vsque hodie tenet quietè. Constituit etiam Rex, quatenus Præpositus, & fratres Ripenses, metretam de semine porri vrbs Præfecto soluant annuatim, ob recordationem & testimonium eorum, quæ per Regem in prædicta Ecclesia gesta sunt. Dominus igitur Episcopus simul cum Choro religiosorum virorum, audito testimonio & illo approbato, tam illa, quæ à Rege Conrado gesta constabant, quam ea, quæ ipse ex sui gratia in præsentiarum concesserat, vt nulli omnino ea in posterū annullare vel in irritum ducere liceret, auctoritate & Banno Episcopali, scripto atque sigillo suo Ecclesiæ Ripariæ confirmauit: Testes huius rei sunt hi, Werinherus Præpositus, Henricus Decanus, Henricus Schazuliese, Rudigerus Cellerarius, Bruno de Hæsenakher, Bernhardus Niger, Merboro, Dietmarus Plebanus, Chaldelhahus de Ahusen, Chuno de Raitenpuech, Berchtoldus de Sinzingen, Henricus Fren, Hermannus Grossus, Hærtv vicus Dapifer Episcopi, Diethmarus de Sinechingē, Altmannus de Egloffshaim, Chuno de Hofedorf, Wallo & filius eius Wallo de Falckenstain, Ordliep Chæspitz, Haitrolikh in Haide, Lautvvin Listmar, Fridericus Cumore, Henricus Rugyveize, Fridericus Paruus, Vsto de Pennechapelle, Karolus filius Rudigeri, Gotfridus Hircellus, & filius eius Gotfridus, Hærtv vicus in Porta, Rutlandus de Puchse, Ludouicus Magister Coquina. Facta sunt

Et sunt autem hæc Anno ab incarnatione Domini M. C. LVI. in festiuitate B. Martini, Episcopi & Confessoris, regnante Domino nostro Iesu Christo,

COPIA ALIARUM LITTERARVM
EIVSDEM HAERTVVICI. &c.

NOVERIT hoc tam præfens ætas quam successura posteritas. quod ego Hertvvicus Dei gratia, Ratisbonens. Ecclesiæ Ep̄s, cum propter frequentes meas infirmitates, tum etiam propter aëris temperiem, ac loci amœnitatem, apud Ecclesiam S. Magni sæpius requiescerem; accidit, vt Diechmarus, maioris Ecclesiæ Plebanus, habitum assumeret monasticæ religionis, in Monasterio B. Emerani martyris. Quo facto, Ortvinus, prædictæ Ecclesiæ Præpositus, assumptis secundum duob. venerabilib. viris, Alberto, videlicet Abbate S. Emerani, & Gevvolfo, Abbate Kastellensi, in præsentia se nostrâ obtulit, multimodam Ecclesiæ suæ nobis exponens inopiam, ac deinde immensum laborem in ædificando nouo Monasterium: Quod quidem fundator satis nobiliter inchoauerat, attamen minus ex aliqua parte perfecerat; nobis etiam de hoc supplicans, quatenus in leuamen sui laboris, & Ecclesiæ suæ sustentationem, aliquod stipendium in Ecclesia nobis vacante, dignaremur exhibere. Abbates verò nos tam venerabilis viri petitionem non debere frustrari commomentes, quem etiam à Decania in Kiemse non paruis precib. nuper assumptum, sub spe bonæ prouisionis in Ecclesia Ripensi locatum, nos Ecclesiæ suæ propter ipsum asseruerunt digne esse benefacturos. Nos itaq; ad petitionē tantorum virorum Chorum Ratisbonens. simul cū Ministerialib. S. Petri, in prædictum locum conuocauimus, exponentes eis pia consideratione, quæ audiuius; Vt & ipsi recordarentur B. memoriæ Gebhardi Presbyteri, quondã ipsorum confratris & Cōcanonici, qua fide & dilectione eis astiterit, qui ob amorem ipsorum, eorum etiam obtinendum suffragium, Ecclesiam Ripensem, cum libera esset, voluntariè fecit eis esse censualem. His igitur cunctis præconsideratis, nos mediantib. Abbatib. in vnum conuenimus, & communicato consilio Ecclesiam in Saler, sub tali conditione contulimus Ecclesiæ Ripariæ, quatenus Plebanus maioris Ecclesiæ, omnium vinearum eiusdem Parochiæ: Præpositus verò S. Magni omnē decimã frugum cum oblatione fidelium possideret in perpetuum. His itaq; cunctis sic ordinatis, vt nulli omnino ea in posterum annullare, vel in irritum ducere liceret, Auctoritate & Banno Episcopali scripto, ac sigillo nostro, Ecclesiæ Ripariæ confirmauimus.

TESTES verò huius rei sunt hi, Albertus Abbas S. Emerani, Gevvolfus Abbas Kastellensis, Wernherus Præpositus, Heinricus Decanus, Rudiger Cellerari, Kadelhohus de Ahufen, Bruno de Hæsinaker, Vlricus Scolasticus, Chuno de Reitenpuch, Merboto, Berchtold de Sinzinge. Berchtold de Claßschinkh, Bernhart Niger, Hermannus Grossus; Capellani verò Episcopi, Henricus Abbas de Münster, Heinricus de Roro. Egilolphus; Rapoto, Regil, Vlricus Vicedominus Sigehardus de Eberpeunt, Nizo de Neitenpuech, Hartvvicus Dapifer, Diethricus de Hæsinackher, Diethmarus de Sinichingen, Albertus de Auttingen, Vlricus de Hohenbergk, Hartvvicus de Liechtenberck, Ortliep Chæzpizze, Erbo Sculteta, Fridericus Paruus. Facta sunt autem hæc anno ab incarnatione Domini M. C. LXI. in vigilia Apostolorum, Simonis & Iudæ.

ADDITIONE S.

Fundatio Ecclesiæ Ripensis alias Monasterij S. Magni Confessoris in pede pontis ciuitatis Ratispon.

Ex libr.
tractat M.
6.

ANNO Saluatoris nostri incarnationis videlicet millesimo, centesimo, trigésimo.

gesimo octauo, inchoati verò pontis *Ratis*: anno tertio R^{du}s. Pater ac generosus vir Dñs. *Gebhardus* Comes de *Rāning* Canonicus Ecclesiæ maioris *Ratis*p. prædiū siue agros suos vna cū suis attinentiis infra duo flumina *Imbris* vulgariter *Xeng* & *Danubij* iacentes, quos iure hæreditario siue proprietario possedit in ædificia redactos quod modo *am Hoff* dicitur in pede pontis Ecclesiæ S. *Magni* tradidit, ibique Monasterium in honorem S. *Andree* Apostoli in figuram crucis prout hodie cernitur construxit, & ibidem Canonicos secundum regulam S. *Augustini* instituit, succedente verò tempore ab incarnatione Domini Millesimo centesimo quinquagesimo sexto Reuerendis: in Christo &c. Dñs. *Hardvvicus* Ep^s *Ratis*. altare Chori dicti Monasterij in honorem B. *Andree* Apostoli dedica- uit. Idem Dominus Episcopus penuriam loci ibidem considerans honorificen- tiam B. *Andree* Apostolo facere volēs, comunicato consilio cum Conuentu ma- ioris Ecclesiæ hoc beneficium exhibuit, videlicet decimam propriæ dotis cum baptisinate & sepultura propriæ villæ, altari B. *Andree* obtulit pro dote, quate- nus sepultura propriæ villæ esset dos, esset parochia Ecclesiæ *Ripariæ*, cum autem memoratus Dñs *Hardvvicus* Ep^s *Ratis*: tum propter frequentes suas infirmitates, tum etiam propter aëris temperiem ac loci amœnitatem aquæ Ecclesiæ S. *Magni* sæpius requiesceret, magis ac magis ad pmouendū Ecclesiā *Ripensem* eo q. fundator nouum Monasterium quod inceperat in ædificando minus ex aliqua parte prout cernitur perfecerat chorū *Ratis*: simul cum Ministerialibus sancti *Petri* in locum prædictum conuocauit, exponens eis piā consideratione vt & ipsi recordarentur B. memoria *Gebhardi* Presbyteri quondam eorum confratris, & concanonicum qua fide & dilectione eis astiterit qui ob amorem ipsorum eo- rum etiam obtinendum suffragium Ecclesiæ *Ripensem* cum libera esset, volun- tarie fecit eis esse censualem; quapropter comunicato consilio Ecclesiæ in *Sales* tali sub conditione Ecclesiæ *Ripariæ* contulit, quatenus plebanus maioris Ecclesiæ omnium vinearum eiusdem parochiæ. Præpositus vero S. *Magni* oēm decimam frugum cum oblatione fidelium in perpetuum possideret: Hoc ip- sum auctoritate & Banno Episcopali scripto & sigillo Ecclesiæ *Ripariæ* confirma- uit, prout in litteris desuper confectis plenius continetur. Demū etiam plurimi Christi fideles tam spirituales quam sæculares ipsum Monasterium, censibus, redditibus, ac prædiis dotauerunt, nec non ipsi fratres ibi degentes quam pluri- mos comparauerunt.

Hoff.

NOrandum ad perpetuam rei memoriam quod Sereniss. Rex Romanorū Dñs *Conradus* cum obsidisset castra *Othone* Palætini Comitis in *Kelheim* idem Rex descendens in propria persona & Ecclesiæ B. *Magni* intrauit & prædium *Ripense* cum omni sua attinentia proprietati regali subiecit, & Marschalcum suū pro inuestitura arearum à colonis villæ *Ripariæ* quod modo *am Hoff* dicitur 52. talenta accepit, & hæc pecunia accepta ad obsidionem rediit, & tandē ad preces Dñi *Gebhardi* fundatoris Ecclesiæ *Ripensis* ob diuinæ remunerationis intuitum, prædium *Ripense* cum suis attinentiis quod est sitū inter duo flumina, videlicet *Imbris* vulgariter *Xeng* ac *Danubij* vsū quoque fluminum eorundem vsque ad medium sanctis *Andree* scilicet Apostolo & B. *Magno* Confes. contulit pro dote, & ad recompensationem talentorum pecuniæ prout præmittitur receptorum præfatus Dñs Rex hanc gratiam Ecclesiæ *Ripensi* contulit, & in villa siue in ciui- tate *Ripariæ* q̄ modo *am Hoff* dicitur publicā mercaturā omni feriarū instituit, & quidquid solui debeat de mercimoniis in foris statutis cū iudicio ciuili præter sanguinis damnationem cuncta Ecclesiæ *Ripariæ* pro vsu fructu firmavit, quæ

longo tempore hoc in vsu habuit; ipseque Dominus Rex ad petitionem Domini *Gebhardi* fundatoris aduocatum ibidem sibi retinuit prout in litteris ad perpetuam rei memoriam desuper confectis plenius continetur. Et hæc sunt iura ab antiquo & seruitutes ad quas tenentur incolæ *am Hoff* ratione dominij præter census consuetos quos singulis annis de arcis, domibus & fundis tenentur, per Illustræm Principem Dominum *Albertum Ducem Bawaria* cum consensu tam Præpositi quam Conuentus & incolarum seu ciuium & communitatis ibidem innouatæ, prout in litteris desuper confectis & per memoratū Illustræm Principem *Albertum* sigillatis clarius continentur & sequuntur in hunc modum.

Item Dominus Præpositus dictæ Ecclesiæ habiturus est singulis annis in tribus terminis, videlicet *Emerami Purificationis Mariae & Georgij* colloquium generale quod vulgariter *Ehaffdeyding* dicitur, cum omnibus & singulis qui in foro habent residentiam & fundos occupant ad Monasterium pertinentes, hoc est, *vnser den Siffhern am Hoff / vnd vnder den waytern* ad commune colloquium videlicet *Ehaffdeyding* comparere sub pœna tenentur & obligantur in prædictis terminis dare. Item panifex aut pistor dabit duos panes vel *zwen Regenspurger psening*. Item Carnifex dabit de carnibus totidem, de cereuisia dantur 3. *Regenspurger* / de pabulo auenæ totidem, de feno 2 *Regenspurger* / de medone qui proprium praxauerit 1 2. *Regenspurger* / vel craterem vulgariter *ain Napf* medonis, quælibet domus dabit pro messore quando segetes habentur in horto *Plarer ain Regenspurger* / pro feno colligendo totidem. Item fimus qui ante fores in Feto *Georgij* per dies 14. inuentus fuerit in foro prædicto dominus Præpositus reatura propria tollet & pro vsu Ecclesiæ suæ reseruabit: si quis autem prædicta non seruauerit prædictis tribus temporibus pœnam 1 2. *Regenspurger* incurrit Iudicium sulcidij vel etiam indebiti ædificij Præpositus emendabit & emendam recipiet. Nullus ante fores suas lubium quod vulgariter *vorsauben* statuet nisi eidem ex speciali licentia Præpositi concessum fuerit, nec etiam quisquæ faber carceres equorum qui vulgariter *noshstall* dicuntur, faciet ante fores sine licentia Præpositi. Nec *ein Felechals* nec coquinam ante fores suas. Nullus ædificia lignea domorum vulgariter *überschuss* sine licentia Præpositi fabricare debet, posticas domorum ad hortos nostros neque fæditatem cloacæ & meatum aquæ de domibus ad hortos nostros deducere præsumat, neque fenestras instituatur versus hortum seu Monasterium prout clarius super his & aliis differentiis in littera Principis decisio seu declaratio habetur.

C A T A L O G V S Præpositorum Monasterij sancti Magni.

Gebhardus fundator & primus Præpositus.

I.
An Dom.
1138.

Comes de *Raning* natus, postea Ecclesiæ Cathedralis *Ratisbonæ* Canonicus Anno salutis 1138, anno verò inchoati pontis lapidei tertio, *Innocentij* secundi Pontificis qui omnia, quæ iure hæreditario inter duo flumina *Imbrem & Danubium* possederat, Ecclesiæ *S Magni* tradidit, ibique Monasterium in honorem *S. Andreae* Apostoli in figuram crucis prout adhuc cernitur construxit & ibidem Canonicos secundum regulam *S. Augustini* instituit quorum ipse Domino & Episcopo *Romano* auctore & annuente Præpositum egit. Petiit deinde Præpositi sui à Pontifice summo confirmationem approbationemque ipsique Eccle-

Ecclesiæ Romanæ subiecit, quæ recepta est, ut ex Bulla apostolica *Innocentij* secundi, quod vna cum aliis sum. Pontif. Imp. Principp. Diplomatis, infra lector reperiet.

Contigit autem hoc ipso Præposito & fundatore statim quæ optima opinione fundauerat Monasterio, distrahi, atque ab ipso alienari. Cum enim Rex *Conradus* propria persona Castrum *Ottonis* Palatini Comitis in *Kelheim* oppugnatus hac transferat prædium illud *Ripense* cum omni attinentia regali proprietati subiecit, *Marchalkum*q; suum ab incolis villæ *Ripariæ* ad 52. talenta pro inuestitura accipere iussit, & ea accepta ad obsidionem erexit. Attamen non multo post ipse fundator & Præpositus *Gebhardus* duos secum. *Marchiones Diepoldum* scilicet de *Voburg* & *Pertboldum* de *Andechssee* filios confessionis accipiens, Regem *Conradum* adiit, rogatur⁹ ut diuinæ remunerationis intuitu, prædium quod manu potestatiua occuparat, Deo & Canonicis regularem vitam ibidem degentibus redderet. Rex itaque ad tam venerabilis viri petitionem, petitum prædium inter duo flumina situm cum omnibus quæ ad illud pertinebant, usum quoque fluminum usque ad medium coram Principibus, Deo & Sanctis eius *Andree* scilicet Apostolo & beato *Magno* Confessori contulit pro dote & Canonicis regularibus sicut petierat fidelis *Gebhardus* est largitus. Hac tamen conditione ut si quando clerici illi distraherentur violentia aliqua prædictum prædium aut rediret ad regalem fiscum vel si quid ordinassent illi fratres dignum permaneret ratum. Vnde & aduocatum illius Ecclesiæ volente tamē & petente *Gebhardo* suo retinuit Domino. Pro recompensatione autem talentorum ab incolis Rex acceperat hanc gratiam. Ecclesiæ suæ cum, consilio fratris⁹ sui *H. Ducis Bavarie* & *H. vrbis Præfecti* publicam mercaturam in ciuitate *Ripariæ* omni feria, tertia instituit, ipsam quoque mercaturam & pensiones & quicquid si nondum est de mercimoniis in foris statutis cum iudicio ciuili, præter sanguinis damnationem, cunctæ Ecclesiæ pro vsu fructuum firmavit *Ripariæ*, quæ anno *1156*, adhuc erant in vsu. Atque ut huiusce per Regem in hanc ipsam collati beneficii iugis recordatio & testimonium permaneret, constituit quot annis à Præposito & fratribus Ecclesiæ *Ripensis* vrbis Præfecto metretiam de semine porri solui. Quæ postea à *Gregorio nono* Pontifice sunt confirmata.

Dietricus seu *Theodoricus* secundus Præpositus.

II.

IN festo beati *Martini* Episcopi venerabilis *Hartuuius* Dei gratia Ecclesiæ *Ratisbonensis* Episcopus, *Dietrico* Præposito petente, totumque Conuentum Maioris Ecclesiæ ad dedicationem inuitante, altare Chori Beati Apostoli *Andree* dedicauit. Cum autem *Hartuuius* Episcopus loci illius penuriam circumspècta mente perpenderet, beatoque *Andree* Apostolo honorificentiam facere cogitaret, communicato cum Conuentu Maioris Ecclesiæ (quem etiam Præpositus ad dedicationem inuitarât) consilio, decimam propriæ dotis cum baptisate & sepultura propriæ villæ altari *B. Andree* obtulit pro dote, quatenus sepultura propriæ villæ dos esset parochiæ Ecclesiæ *Ripariæ*.

Anno
1156.

Cum insuper memoratus Episcopus⁹ *Hartuuius Ratis:* cum propter frequentes infirmitates tum propter aëris temperiem ac loci amoenitatem apud Ecclesiam sancti *Magni* sæpius requiesceret, magis ac magis ad promouendam Ecclesiam *Ripensem*, eo quod fundator nouum Monasterium quod inceperat ædificando minus ex aliqua parte vti videre est perfecerat, incitatus est. Chorum igitur *Ratis:* simul cum ministerialibus Sancti *Petri* in prædictum locum conuocauit, expofuitque eis omni consideratione, ut & ipsi recordaren-

TUL.

tur *Gebhardi* presbyteri quondam eorum confratris & conuicini, qua dilectione eis astiterit, qui ob amorem ipsorum & eorum obtinendum suffragium, Ecclesiam *Ripens*: cum libera esset, voluntarie eis fecerit censualem. Quapropter communi consilio Ecclesiam *B. M. virginis* in *Saler* tali sub conditione dedit Ecclesie *Riparia* ut plebanus Maioris Ecclesie omnium vinearum eiusdem parochie, Præpositus verò *S. Magni* omnem decimam frugum cum oblatione fidelium in perpetuum possideret. Hoc ipsum auctoritate Banno Episcopali scripto & sigillo Ecclesie *Riparia Hartvvicus* confirmavit, *Gregorius* nonus Papa, Pontificatus sui anno 5. singulari indulto, *Innocentius* verò quartus postea inter alia etiam hoc anno 1254. bullis suis approbavit, sub *Hermanno* Præposito ubi ex litteris allatis constabit.

Conradus I

III. 204. **H**OC anno *Conradus* Præpositus ab *Innocentio* Papa 3. priuilegium libertatis Monasterij obtinuit, sic sonans. *Innocentius* Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis *Conrado* prouisorio Ecclesie quæ dicitur ad *Ripas* eiusque fratribus regularem vitam professis tam presentibus quam futuris in perpetuum &c. Si religiosorum virorum petitiones clementer admittimus, nostris procul dubio opportunitatibus benignum ac pium omnipotentem Deum reperimus, in quibus litteris sub tutelam suam Monasterium Papa recepit & multa alia concedit. Vide in litteris anno 1204. signatis.

1224. Hoc anno transacto concilio *Lateranensi* sub *Innocentio* Papa in provinciali concilio *Eberhardi* Archiepiscopi *Salisburgensis* à Rectoribus ordinis sancti *Augustini* qui à concilio *Lateranensi* erant constituti, quædam statuta Canonice regularibus suntradita & incipiunt: Quia regularis ordinis obseruancia.

228. Circa hoc tempus fuerunt ea confirmata à *Gregorio* nono Papa quæ *Hartvvicus* Episcopus *Ratis*: & *Conradus* Rex Romanorum Monasterio donarunt: Litteræ sic se habent:

Hermannus.

II. **I**NNOCENTIO Papa 4. Pontificatus sui vero anno 8. à Fratrib. Romæ est accusatus, quod eius in curia & malicia, alias tam spiritualium quam temporalium uertate florens Monasterium colabatur; unde commissum Decano *Ratis*: si ut accusatur inueniat eum deponendi & alium in eius locum per electionem Canonicam eligendi. Litteræ sic habent. *Innocentius* Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Decano *Ratis*. Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad auditionem nostram intimantibus dilectis filiis Canonicis Ecclesie *S. Magni Ratis*. ordinis *S. Augustini* nouerit peruenisse, qui cum olim Ecclesia ipsa florere consueuerit spiritualium & temporalium uertate bonorum, nunc per incuriam & malitiam *Hermannii* Ecclesie prædictæ Præpositi adeo est in uirtute, & collabitur. incessanter, quod nisi celeriter succurratur eidem incurret irreparabile detrimentum. Cum igitur secundum Apostolum instantia nostra quotidiana sint omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, discretionis tue per apostolica scripta mandamus quatenus personaliter ad Ecclesiam ipsam accedens inquisita super hoc diligentius & cognita uertate, si rem inuenieris ita esse, ab ipsius Ecclesie administratione auctoritate nostra Propositum memoratum, præfatis Canonicis prouidendi eidem Ecclesie per electionem Canonicam, prout eis de iure communi competit, & persona idonea in Præpositum licen-

licentiam largiatis. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita capessendo. Datum Lugduni 3. Calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno octauo.

VValchunus.

Rimarus.

Henricus I.

HVNC insignem virum fuisse coniciendum est ex sequentibus, præsertim quod Anno Domini 1378. ipsi commissum est. Anno 1365. Conuentuales omnes cum Præposito hoc anno vnanimi consilio statuerunt, publicoque testimonio Notario *Liebbardo* clerico illud confirmante & ordinante sanxerunt, ne in posterum vltra 8. personas cum Præposito & omnibus iuuenibus suscipiantur, ad ordinem, aut simul alantur. Litteræ sic incipiunt: Nos *Henricus* Dei gratia Præpositus, *VVernberus* dictus *VVendert* Senior &c.

HOC tempore cum *Urbanus* Papa sextus, primo Pontificatus sui anno. per *Vngariam* & Episcopatus *Germania* ad *Cameram*, Apostolicam, 1378. pertinentes redditus & beneficia censusque per *Pauonem* Episcopum *Polygonensem* sedis Apostolicæ nuncium vellet exigere perceptorum & expensorum vbi excipere: ipseque *Pauo* vbiq; non posset perficere mandatum, Pontificis, auctoritate hac in resibi concessa prædictum Præpositum *Henricum* huius loci voluit suas vices per Episcopum *Salisburgensem* hac in re subicere: quo munere diligenter & cum laude perfunctus est Præpositus vt patet ex *Pauonis* litteris quitantiis vt vocat &c.

Vdalricus I.

Bernherus.

Henricus II.

Conradus III. Haller dictus.

HOC ferè tempore cum ciues *Ratisbonen.* ad muniendam ciuitatem, & 1380. pontem suum in foro nostro am *Hoff* domos quasdam, diruerent quo 69. commodè possent fossam effodere, idque inconsulto Præposito, accusantur itaque apud Papam *Bonifacium* nonum *Roma* à Præposito, itaq; Pontifex sexto sui Pontificatus año rem totam Archiepiscopo *Salisburgensi* committit qui rem sedauit, censumque Monasterio dandum statuit.

CONRADVS *Eckber* Præpositus nobili & militari genere procerus, hoc Anno factus est Præpositus: erat in antea parochus in *Saler*, postea autem, 1409. omnibus Monasterio resignatis Canonicus ad *S. Magnum*, & tandem anno prædicto Præpositus.

Vdalricus II. dictus Kuebenmeister.

Erhardus I.

Sebastianus.

Erhardus II. dictus Regldorffer.

*Georgius I.**Simon natione Pruthenus.**Johannes I.**Kilianus Præpositus Anno 1499.*Anno
1500.

HOc anno circa Iunium *Rupertus* Episcopus *Ratis*: Dux *Bauaræ* visitaui Monasterium, & quædam ordinauit his litteris contenta. *Rupertus* Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus *Ratis*: Dux *Bauariæ*, dilectis nobis in Christo fratribus *Kiliano* Præposito, *Georgio* Decano, totique Conuentui Monasterij S. Magni extra muros *Ratis*, ordinis S. *Augustini* Can: reg: nostræ *Ratis*: Ecclesiæ salutem & sanctæ religionis incrementum. Nostri pastoralis officij sollicitudo exposcit, vt his sub cura & obedientia nostra degentibus, maximè religiosis secundum S. *Augustini* memorati regulam professis (in qua quidem regula clare continetur, vt professores eiusdem regulæ Præposito tanquam patri obediant multò magis presbytero, hoc est, Episcopo seu ordinario; & rursus alio in loco eiusdem regulæ dicitur quod Præpositus referat ad Episcopum qui modum ad eius vices excedit) viam melioris obseruantia præbeamus; vt patet in istis litteris suis &c.

*Georgius II.**Johannes II. dictus Prandstetter.**Georgius III. dictus Graff.**Laurentius.**Ioannes III. dictus Schmaus.**Iodocus.**Stephanus Michelbacher. Præpositus.*

Fuit is sub Præposito præcedente cellarius, depuratus ad administrationem anno 1568.

Anno
1575.

Casparus Resch cognomine professus in *Beurberg* Monasterio superioris *Bauariæ*.

Is cum ad voluntatem suorum in Monasterio *Ror* aliquandiu cum in omni regulari obseruantia tum, maximè in parochiali & concionandi munere (hoc) & in Cathedrali Ecclesia hic *Ratis*: gnauum se exercuisset, ad huius Monasterij regimen dignissime est accitus, moritur anno Christi.

*Melchior Vischer.**Hieronymus Ferl. obiit an. 1605.**Gregorius Hagen.**Christophorus VVeinhard.*

MALHARSTORF, ALIAS MALHAZRDORF ET MADILHARTISTORF SANCTI

Benedicti Ordinis.

FVNDATVR per *Heinricum* & *Ernestum* filium, Comites de *Kirchperg*, Anno 1109. Auent in *Annalib.* fol. 614. ita ponit: Eadem tempestate *Heinricus* & filius eius *Ernestus*, Comites à *Kirchperg*, arcem suam *Mallerstorf*, in inferiori *Bauaria* prope *Laberamnem* sitam, in Templum commutant; *Hartvicus* *Ratisbonensis* Episcopus dicat, sacris D. *Benedicti* initiat, *Burckardum* Magistrum, id est, primum *Abbatem* legit: Primò ibi iuxta castrum, in quo Comites